Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 859
Quelle:
Copyright:

conuiuium cum Jacobo et Johanne. et Juda et simone et duabus filiabus suis &c. Inter Codd. *Christinae Suecae* Bibliothecae Vaticanae illatos apud *Montfauconium* N. 1332. invenio Librum *de Infantia Jesu Christi*, qui nosterne sit, dicere non habeo. Est vero noster ille, quem ex *Laurentiana* excitat T. I. *Codd. lat.* p. 523. *Bandinius*, hocque epiphonemate prosequitur: *Hunc Librum minime reperimus neque inter Opera edit. cit. neque in Cod. Apocr. N. T. a J. Alb. Fabricio edito.* Typis tamen jam etiam prodiisse testatur *Catalogus* splendidissimae *Bibliothecae Ducis Vallerii* T. I. p. 201. ubi legitur: *Libellus de infantia Saluatoris a Beato Hieronymo translatus.* 4. Circa an. 1475. excusum autumat Catalogi digestor *Deburius*, suadetque αυτοψια in Bibl. Caes.

V. *fol.* 215. accedunt, ut ex Indiculo *fol.* 121. subjecto discimus: *Uita beate marie secundum Epbifanium. Uita beate virginis marie secundum Hieronymum. Epistola sancti ignatii ad gloriosam uirginem mariam christi matrem. Epistola beate marie uirginis ad sanctum ignatium. Epistola sancti ignatii ad sanctum iohannem euangelistam suum magistrum. Epistola sancti ignatii ad sanctum iohannem euangelistam. Exemplum epistole quam misit rex abagarus christo. Et responsio christi ad eum per eiusdem epistolam. et historia de sudario.* Vita prior incipit: *De dominabili et ueraci dei genitrice* &c. Altera: *Hanc sibi regulam beata maria* &c. Brevis utraque et nugatoria. De supposititio Commercio epistolico *Mariae* et *Ignatii* adi laudatum saepe *Fabricium* T. I. P. 2. p. 833. Suppositae quoque sunt *Ignatii* ad *Johannem* epistolae, extantque tantum latine, genuinis tamen in pluribus editionibus, puta Vossiana *Amst.* 1646. 4. Ittigiana *Lips.* 1699. 8. Coteleriana PP. Apost. *Antverp.* T. II. 1698. f. subnectuntur. De Epistolis demum amoebaeis *Abgari* et *Christi*, quarum Exemplar etiam graecum ex Aug. Bibliotheca protulit *Lambecius* L. V. p. 9. *edit Kollar. col.* 24. conferri possunt *Guil. Caveus Hist. liter. Sec.* I. *J. Ern. Grabius Spicil. SS. PP.* T. I. p. 1. et 313. *Seb. Tillemontius Mem. pour servir a l'Hist. de l'Eglise* T. I. *Fabricius Cod. Apocr.* N. T. P. I. p. 317. III. p. 516. expendique, quibus argumentis earum γνησιοτητα ventilent Viri doctissimi. Narratiunculas, quae in nostro Codice eas antecedunt et consequuntur, ex *Eusebio* et sequioribus *Hist. Byzant.* Scriptoribus homo quidam recentior consarcinavit.

VI. *fol.* 222. Codicem claudit *Disputatio Abutalib saraceni* (ita Tabula *fol.* 238. p. 2.) *et Samuelis Iduei* (Judei) *que fides pręcellit. an christianorum, uel saracenorum uel iudeorum. translata per fratrem alfonsum de arabico in latinum.* Concertatio haec epistolis VII. definitur, quarum IV. Saracenus Septae exarat, III. Judaeus Toleto reddit. Ultima Abu-